

II m  
922

11

No. XI.

AD  
PVBLICVM LYCEI SNEEBERGENSIS

EXAMEN

EID. OCTOBR

ET SEQVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONSVETVDINE  
INSTITVENDVM, SVB CONTINATIONE

S C H E M A T I S  
TRIVM NVMORVM,

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR AVGVSTORVM CALIGVLAE  
NERONIS ET GALBAE EFFIGIES, CVM MANV PORRECTA  
ORDINES CIRCVMSTANTES PRO ROMANORVM  
MORE ADLOQVENS,

ET

INTROITVS CONCINNIORIS IN AVGVSTAM  
VOCEM SVB PERVERSA REGNANDI LIBIDINE AVGVSTARVM  
FAMOSARVM CAVSSA,

VENERANDOS LYCEI NOSTRI DN. INSPECTORES,  
ET QVOTQVOT EX PROCERVM VTRIVSQVE ORDINIS NVMERO MANSVE-  
TIORIBVS MVSIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIQVE ILLORVM PER-  
HONORIFICAM PRAESENTIAM EXORAT

M. IOANNES DOPPERTVS, RECTOR  
SCHOL. SNEEB.

SNEEBERGAE,  
Praeco HENRICI FVLDAE.



*Handwritten signature:*  
Friedrich Wilhelm ...  
Kunze



Vod ad coniugia in universum ex Petrarcae pronunciato applicari potest: disce servire, disce pati, varias acumnas ac molestias constanti mente perferre, disce caros pellere, sodalesque iucundissimos postponere, uni vaca coniugio, sarcinasque et aureas compedes svaivter osculare, id quoque in penetrabilibus Principum mundiue Procerum saepius locum fortitur, et vel ad ipsum AVGVSTI et LIVIAE sanctuarium adstringitur, ubi deliciae calamitatibus taediisque domesticis mixtae, et technae callidaeque AVGVSTVM capiendi et expugnandi fraudes, miraque circumducendi artificia confluunt, ac luculentum huius rei documentum insigniter ante oculos proponunt. Petrarca L. i. dial. 67. de remediis utriusque fortunae, libro nobili, magnaque prudentia, iudicioque humanarum rerum, et acutis spiculis referto, ac merito cum casibus illustrium virorum componendo, qui latent in bibliotheca Colbertina cod. 840. a Gratiano augmenti loco ex aevo recentiore suppleti. Cum animam ageret, spiritumque anhelante ore duceret gloriosissimus AVGVSTVS, advocari iussit Liviam, ab eaque extrema oscula, et amplexus anxie expetivit, quo eo laetius inter repetita basia, et verba, toxico infecta, magnus OCTAVIANVS decederet, scenamque deponeret, ultimumque vale captivae Liviae pronunciaret. Scena certe est, quicquid admiramur in corporis venustate, conjugis, domo, structuris, divitiis, honoribus, regnis, Principatibus, et reliquis bonis externis, longe ab interna felicitate, mentisque serenitate remotis, qua voce regnorum splendorem circumscriperunt prudentissimorum mortalium arbitri, Marcus Antoninus, Basilus, Seneca, et Synefius, cuius verba recitat Thomas Gatakerus in Marc. Anton. L. 12. p. 364. editionis Trajectinae, a percelebri Theologo Hermanno Vitsio 1697. procuratae, Regnorum ac Principatuum simulacra, et germanum sapientiae, vitaeque tranquillae et serенаe fontem Sveonum Reginae, CHRISTINAE aperit, eamque vel ea de causa fatidicarum numero, et serae annalium memoriae commendat, quod ex heroa mente, animoque divinitus excitato, tranquillitatis et sapientiae causa diadema ac sceptrum in manus B. Virginis resignaverit, in dedicatione epistolarum Cl. parentis filius non minoris famae, ac inter Gallos prudentiae Isaac Sarraivius, graviter pronuncians: *quando, inquam, reperire licebit Reginae aliquam, quae cum tot et tanta a natura et artium praeclararum cognitione, adjuncta haberet, regni ornamenta neglexerit? Nimirum Tu una post innumerabilem annorum seriem exorta es, quae perspiceres, quam male conveniat et Diademati et Sceptro cum animi tranquillitate et vera vita. Recte Tu quidem ac sapienter animadvertisti, nos non Reipublicae tantum, sed nobis potissimum valere et vivere debere: neque belluae istius multorum capitum populo bonos Principes perpetuo mancipari. Vidisti scilicet fieri vix posse his moribus, ut Reges patriae parentes esse possint, quod Tu velles. Hoc praeterea agnovisti, Reges, qui sibi liberrimi omnium videntur, exiguo tamen mundi limite claudi, neque ipsis ferme et finibus egredi licere, nisi sub aliis bella, clades, et luctuosam funerum materiam importent. Itaque adeo quid aliud superfit, nisi ut, quod olim a prudentissimo principe dictum fuit, Regia dignitas servitus gloriosa habeatur? Quid quod, ut hodie vivitur, vix est, ut ingenua fides, sincerusque ille fortis animi candor cum regia dignitate possint sociari? unde et aliquot abhinc annis, et vere, et ut sublimi illo animo tuo dignum erat, dixisti, regis voluntatibus non semper tuto credi. Quae omnia si quis maturo iudicio, non autem vulgi temeritate ponderarit, nae ille, approbantibus universis, qui unquam extiterunt, sapientibus pro vero affirmare poterit, nunc illud esse, cum Regum Regina vocari debes. Praeter Sarraivium vitae privatae felicitatem, et ad Musas secessum mirifica verborum eloquentia, et vel cum abundantia Ciceronis flumine comparanda extollit Petrus Alcyonius L. i. de exilio p. 96. seqq. Sarraivii verba phalaras et dicendi pigmenta continent, sed veras causas a throno discedendi historici produunt, scribitque Excellentissimus et sanctior AVGVSTI Regis consiliarius*

arius, Bernardus Zechius, Maecenas meus summus, in Heraldo Europaeo part. 2. p. 279. quod discessio CHRISTINAE ex amore sacrorum Romanae sedis facta haudquaquam fuerit, sed quod eo Reginae mentem flexerit imminens idque gravissimum Sarmatarum bellum, sicut per nimiam remunerandi gratiam, deliciasque admodum pretiosas exhaustus, quodve timuerit gloriae Regiminis lucusque splendidissime gesti, a Carolo Gustavo in pristino splendore, Sveonumque gloria sustentandae. Supremam CHRISTINAE ad regni Proceres allocutionem exhibet Thomas Crenius animadvers. hist. et polit. fol. 51. abstrusas vero a regno discedendi causas indagant Puffendorffius, et novissimus Auctor vitae CAROLI GVSTAVI, Hamburgi editus p. 308. cum quibus conferratur epistola Reginae ad Chanutum, Oratorem Regis Galliarum, quae annexitur, vitae CHRISTINAE Lipsiae editae p. 57. Celeberrimus Septentrionis Antiquarius, et in re numaria versatissimus, Elias Brennerus numos interpretabitur vitam CHRISTINAE, et transitum ad castra Pontificis, urbisque aeternae exhibentes, cuius Sueciam Numif. lucusque valde eruditorum chorus desideravit, κερσον δὲ δι' ἡμέρας, Dione eferente L. 56. p. 6. 6. ἐμείως τοῖς γελασποῖσι, ἀς καὶ ἐπὶ μέγας ἴσως ἡλευθῆς, Αὐγύστης ἀήστως, καὶ παρπενοὺς πάντας τῶν ἀνδρείων βίον διέσωσεν. Luxerunt Augustum mulieres Dione teste L. 56. p. 685. ἐν αὐτῷ ἔλασ κατὰ ψήφισμα, luxit Livia, lacrimasque confictas profudit, deploravit Tiberius, qui tamen non aequa solum mente, sed etiam animo ad hilaritatem detorto, luctuosum Romano imperio fatum pertulerunt. Sic fert Aularum conditio, ut ex Principum obitu, quem domestici et satellites acriter desolent, uxores laepius et Regni successores maximam capiant laetitiam, et ingenti gaudio, ex hereditate opima, quam dudum cum suspiriis et gemitu expectarunt, permulceantur. Mater Livia diu vivente adhuc Augusto voverat regnum Tiberio, nihilque non egerat, ut filius ad successionem mature perveniret. Recubuit Augustus in sinu perdilectae conjugis, eique conjugii pristini svavitatem his verbis moribundus revocat in memoriam: Sis memor Livia nostri svavitatem his verbis moribundus revocat in memoriam: Sis memor Livia nostri conjugii; sed nesciens, quam fraudulentis blanditiis Livia eum demulceret, et tantum in speciem amplecteretur. Quanta laetitia Livia ex Augusti discessu delibuta fuerit, ex repentino Tiberii ad urbem accessu, primo nuntio, litterisque clandestinis animadvertisimus, et perquam sagaciter callidum agendi inter utrosque processum depingit Corn. Tacitus annal. V. his verbis: *Vix dum ingressus Illyricum Tiberius, properis Matris litteris accitit, neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit; acribus namque custodiis domum et vias spererat, lactique interdum nuntii vulgabantur, donec provolis, quae tempus movebat, simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.* Si conjugia bene feliciterque eveniunt, digna sunt applausu, magnamque felicitatis cumulum post se trahunt, ac non raro antiquas sordes, et contemptam vivendi rationem abluunt, prosperaque emolumenta ad fortunam rectius stabililiendam afferunt: his mortales inferunt se potentiae alienae: his partem facultatum attrahunt: his sese muniunt tanquam vallo securo ad incipites vitae calus et svaviore mente perferendos. Iul. Agricola, vir contestante ipsa invidia insignis, et cuius virtutibus nihil obfuit, praeterquam quod in Domitiani tempora inciderit, cum sibi egregiis excelsisque facinoribus aditum ad ipsam immortalitatem strueret, matrimonium tamen ad majora tendenti decus ac robor fuit. Laudanda est hoc loco circumspccta Agricolae prudentia, dum contrahit matrimonium, non tam amorem ac voluptatem respiciens, quam rationem ac prudentiam in consilium adhibens, quo sibi non modo solatio, sed splendori ac robori, dum majora in mente concipiebat, futura uxor foret. Amor intempestivus caecum reddit hominem, et voluptas in praesentibus terminatur, citoque transit, his qui obedit, errat graviter, cuius temerarius saltus non nisi morte emendatur, et prout duxeris uxorem, ita habere oportet, Tacitus in vita Agricolae c. VI. Daniel Eremita in Cosmi Medices Nupt. cum Maria Magd. Austruica Paneg. p. 303. Marium a tenui Arpini agello ad fascium et triumphum in fi-

429  
insignia campestris gloria evexit, porrexerunt tamen grassanti ad nominis pen-  
nitentiam non poenitentiam manum, quas matrimonii beneficio acceperat  
facultates, cum tenuis nascendi auspiciis alienae, cui se inseruerat familiae splen-  
dor obtenebraret. E contrario si intrant lectum genialem, intimaque pene-  
tralia pervadunt Faustinae, Hilsipae, Caesenniae ac Messalinae, actum est de  
felicitate, et prosperioris fortunae afflatu, deliciae in tristitiam et lamentatio-  
nes convertuntur, auctoritas ruit, et prorsus de jacto fundamento praecipitatur.  
Majestas spiritusque sublimis amittendi regiam divinamque auctoritatem  
forsan a matrimonii sanctimonia abstraxit Britonum Reginam Elisabetham,  
quae Senatui regni matrimonium cum pondere sollicitanti sequenti modo res-  
ponderet: *Si l'envie de se marier la prevoit, et ce fuit avec quelque  
etranger, qu'elle auroit soin de faire choix d'un Prince si pauvre, qu'elle  
luy feroit de si peitits avantages, que l'on n'auroit aucun sujet de se crain-  
dre: Au reste elle ne vouloit jamais se desfaire de son autorite, et si  
elle venoit a se marier, elle ne vouloit pas, qu'on peit dire autre chose d'elle,  
si non qu'elle, avoit bien voulu prendre un mari, et un associe de lui, mais  
non pas du Throne.* Leti dans la vie, Liv. V. de la I, part. fol. 420. ex eo Ex-  
cellentissimus Reinhardus, Patronus meus magnus, et perpetua beneficiorum  
hospitiique lege suscipiendus, in Theatro prudentiae elegantioris p. 522. illu-  
stris Puffendorsius in Britonum historia de Elisabethae virginitate nihil decedit,  
judicium tamen interponit Excell. Zechius in Heraldo Europaeo p. 170. putans,  
ideo Reginam non reculasse matrimonii leges, quasi ex medicorum consilio  
pervasa fuerit, se in primo nixu spiritum emissuram; verum quod regium  
characterem ut divinum habuerit, qui cum uxoris submissione consistere non  
possit. Burnettus in H. E. A. pro liberis Reginae substituit regnum, Brito-  
numque gentem, ejusque sepulero haec inculpit verba: haec sita est Regi-  
na, quae ut virgo vixit, rexit, tandemque gloriose Virgo decessit. Sarmatarum  
Venda maluit Princeps esse, quam Principis uxor, hinc sceptri gratia  
repudium misit Ritigero Principi, Heroinae venustate capto, et per lega-  
tionem Procerum consensione matrimonium illius expetenti, deinde vero per  
arma abnuentem Vendam provocanti, quae infelicem amatorem, a suis des-  
titutum, dederunt praecipitem, pertristis vero tragoedia Vendam inter ipsas  
victimas triumphi die Dis Manibus devotas, ut victimam nobilissimam Vistu-  
lae, in quam se saltu praecipitavit, cum stirpis Craci regnatricis exitu, et  
justo Sarmatarum planctu Cracoviae commisit. Salomon Neugebaverus in  
vit. Princ. ac Regum Pol. p. 7. et Joachimus Pastorius in Floro Pol. p. 8. Ex his,  
quae justa serie a me hucusque dicta fuerunt, facile rimaberis causas, L. B.  
quae impulere Principes orbisque dominos, quo tot elogia, insigniaque  
characterum in conjuges contulerint, quas modo *Orbis Genitricis, Ma-  
res Castrorum et Senatus, modo Clarissimas, Curopalattissas, Caesaris-  
sas*, ipsasque *Augustias* compellarunt. Blandimenta fuerunt, et fomes Ma-  
jestatem auctoritatemque in toto sanctisque penederalibus arctiore nexu con-  
stringendi. Extremam *Augustiae* compellationem futura explanatio latiore  
verborum anfractu ex numis circumscribet, qui modo praefens argumentum  
de infelici Principum matrimonio concludo in obsequenti ornatissimum Lycei  
nostri Ephorum, et Civitatis nostrae Patrum, munerum ratione et in templo  
curiaque expensescientium, invitatione ad solenne militum nostrorum, sub Mi-  
nervae clypeo tela objecta excipientium, exercitium, quorum exoptatum  
accessum denuo nobis promittimus, quoniam Statores hujus Civitatis, Pa-  
troni aequissimi, sereno vultu, ocalisque benignis dimicandi aream hucusque  
respexerunt, eamque laudabilibus fertis cum magistrorum ac tyronum gaudio,  
Musarumque incremento condecorarunt. P. P. Dominica

XIX. post festum S. Triados A. D. 1708.

II m  
922

11

AD  
PVBLICVM LYCEI SNEBERGENSIS

EXAMEN

EID. OCTOBR

ET SEQVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONSVETVDINE  
INSTITVENDVM, SVB CONTINVATIONE

S C H E M A T I C  
T R I V M N V M O R V M,

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR AVGVSTORVM CAI  
NERONIS ET GALBAE EFFIGIES, CVM MANV PORREC  
ORDINES CIRCVSTANTES PRO ROMANORVM  
MORE ADLOQVENS,

ET

INTROITVS CONCINNORIS IN AVGVSTAM  
VOCEM SVB PERVERSA REGNANDI LIBIDINE AVGVST  
FAMOSARVM CAVSSA,

VENERANDOS LYCEI NOSTRI DN. INSPECT  
ET QVOTQVOT EX PROCERVVM VTRIVSQVE ORDINIS NVMERO  
TIORIBVS MVSSIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIQVE ILLORVM  
HONORIFICAM PRAESENTIAM EXORAT

M. IOANNES DOPPERTVS, RECTOR  
SCHOL. SNEEB,

SNEBERGAE,  
Praelo HENRICI FVLDAE.



*Handwritten signature and text at the bottom right of the page.*